

Haec in adserenda, defendenda, propaganda et ad genuinum usum vocanda veritate, Lutheri posteris, doctores Theologi, maxime Wittenbergae sibi aequo concorditer dicta facienda putarunt, nec alter alterum, ubi opus fuit, unquam deseruit, quod et immortalem Ipsorum nominibus peperit gloriam, ut luculenter didicerit, quisquis, quod primum absque curatiori selectu in manus incidet de aureis illorum lucubrationibus, vel obiter oculis cursuque vsurparit, ubi iustae causae intimi doloris non tacentur, si qua scissio vinculi sui mystici et charitatiui se patefecerit, eam se non fusque deque habere, cordate declarantes animum parti laedenti ad consummatam conciliationem pronum, illatarumque iniuriarum, si salua veritate fiat omnimodam obliuionem offerentem, nihil relicto, quod luxatum membrum corrigere possit, quorum documento sit B. D. AEGIDII HVNNII narratio certaminis HVBERIANI, quam tractatui de prouidentia Dei praefixit, nihil non enim laudatissimus iste Theologus cum D. SALOMONE GESNERO et POLYCARPO LYSERO Collegis egit, ut vulneri Ordini suo infixo, omni animi moderatione immodestum HVBERVUM emendaturi, mollissime medelam adhiberent. Quam amicissime rem dei post interiectum fere seculum gerentes D. ABR. CALOVIVS cum $\sigma\upsilon\zeta\upsilon\gamma\omicron\iota\varsigma$ vixerit, D. QVENSTEDIO et D. DEVTSCHMANNO, quos nominasse satis est laudasse, et adhuc tum iuniore D. IOH. FRID. MAYERO, quam hi cum zelo pro veritate amorem pacis restituentem cum Calvinianis vno animo et spiritu, candide pacifici omnes, combinarint cum antecessore suo, prolixius refert dictus Magnus MAYERVS reliquis superstes in dedicatione praefixa Collegio Anti-Syneretistico BEBELIANO ex MSCto posthume ab ipso typis vulgato, ubi tam pio et religioso stylo rem describit, ut durioris pectoris esse oporteat, quem ea attentius pellegentem non flectant ad lacrymas, ubi expressis verbis, haereditario quasi iure ait id animi ex gazis dotium et exemplo proto-Theologi LVTHERI deriuatum esse in Theologos Successores Wittenbergenses, quin penes ipsos unquam vlla vel minima culpa impeditae pacis ecclesiasticae resideret.

Valeant sibi, quotquot turbulentis hisce temporibus certissimis postremae malorum sentinae praenunciis, in cordatos Theologos dilectissimae nostrae LEVCORIDIS insurgunt, rixositatis, citra omnem conscientiam et veritatem, maculam ipsis affricantes, quos ob summa in ecclesiam Christi merita venerari et charos habere debebant, quos subinde non puduit, nec dum poenitet, vel ignominiosis scurrilibusque libellis laceessere, mataeologiae adeo in B. Lutheri cathedram inductae incusantibus. Miratus et contristatus mecum sum, B. MARTINO CHLADENIO, Gamalieli olim meo, obiectum in aliquo libro posthumo, auctoris nomini honoris ergo parco, Iesuitismum, eo quod in Institutionibus Theologiae Exegeticae, dum Commentatorum Biblicorum subiuncto apparatus aliquem catalogum infereret, (omnes vero recensere in animum non induxerat) praeteriisse illos, quos nouisset viros non minus se praestitisse, quasi nunquam extitissent, vel fuissent in rerum natura. Recolui, dum hoc legi, mox mente, ab ipso inter docendum $\tau\tilde{\epsilon}$ *deivos* Commentarium in priorem Epistolam Iohanneam omnino esse allatum, imo cum alterius cuiusdam collatum, nobisque auditoribus optionem relictam, vter alteri esset praefendus, et num illi, qui in praefatione gloriatus sit, se libere literis consignasse, quicquid inciderit, vnice nescio quibus forsan imme-

diante